

ri de Capite militat. *eccles. lib. 2. c. 8. n. 6.* Matthæucci l. c. *Controv. 6. c. 2. n. 20.* & alii. Et pro tunc sicuti in casu, quo Papa aliò se transferat ad residendum, valet illud vulgatum, quod *Ubi Papa, ibi Roma;* ut in terminis Eugenianæ const. incip. Divina, editæ ab Eugenio IV. octavo Idus Martii 1432. dixerunt Marchesan. de *Commis. Eug. p. 2. c. 11. n. 38.* Ridolphin. in *praxi p. 3. c. 4. n. 164.* Card. Petra i. 4. *Comment. ad const. 4. Eugenii IV. n. 6.* & alii (*Consonat lex 4. lit. 9. p. 1.*)

81 Papa, etiam suis literis apostolicis salutem excommunicatum, immo quamvis scienter ipsi excommunicato participet, literis, verbis, osculo, aut quovis alio modo, non idcirco censetur eum absolvere, nisi expresse se declarat velle per hoc ipsum absolvere. *Communis, textu expresso in cap. Si aliquando 41. de sent. excommunicationis, & in Clement. Si Summus Pontifex scienter etiam excommunicatum participet literis, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi; Junctio ejus summario sic expresse habente: Si Papa etiam scienter excommunicato participet, illum per hoc non absolvit, nisi exprimat, hoc se velle. Vide verb. Probatio à n. 37. ad 30.*

(Licet videatur convenire cum precedenti doctrina *lex 5. vers. E. si el Papa: lit. 5. p. 1.* tamen exprimit, absolvere excommunicatum, si scienter eum eo participet, dummodo absolviendi voluntatem habuerit, eamque non aperuerit.)

82 \* Papa primatus à Græcis esse agnoscendus. *Bened. XIV. tom. 1. const. 57. incip. Btsi Pastoralis*

83 §. 8. *Papæ commemoratio in missa fieri debet à Græcis Italix, & Insularum. Idem ib. §. 9.*

84 Papa ex absoluta potestate, etiam inconsulto dicecesis Episcopo, potest concedere exemptionem ab ordinaria jurisdictione. *Idem tom. 2. const. 40. incip.*

85 Causarum Palatii. Papa, non autem ullus inferior Antistes, potest dispensare in iis, quæ sunt de jure communi canonico. *Idem const. 51. incip. Magnæ Nobis.*

86 Papa est supremus dispensator bonorum ecclesiæ; Immo Canonice communi suffragio dominum eum agnoscit. *Bened. XIV. const. incip. Cum Encyclicas literas, §. 4. Papa bona ecclesiæ potest injustis detentoribus concedere, quoties id Religionis utilitas, & detentorum salus postulare videatur. Idem ib. §. 5. & 6. ubi ad id affert exempla prædecessorum Pontificum; Et autem Pontifex jure potest non solum cum res est de hæreticis ad ecclesiam revocandis, sed etiam cum Christi fideles à probabili apostatandi periculo revocantur. Idem ib. §. 6. & 7.*

88 Papa potest ecclesias quibuscumque in dicecesibus sitas per se, vel quatenus nolit, aut non possit, per suum Delegatum, irrequiritis locorum Ordinariis, consecrare. *Bened. XIV. const. incip. Jam in de §. 25. & 28. Immo olim privativa fuit ipsi auctoritas consecrandi ecclesias. Idem ib. \**

\* Plura de Papa minus exacte hic dicta emendantur verb. Romanus Pontifex.

¶ *Monitum ad Lectorem.* Non ut abicias quod verum, & justum est, sed ut æquus rerum estimator sis, moneo, Lector veritatis amans, ne more pecundum eas in sententias omnes, quas in medium promittit Lucius Ferraris. Illas cribra, & auctoritate quære in scripturis sanctis, in doctrinis Sanctorum Patrum, in Sacrorum Conciliorum canonibus, atque in Summorum Pontificum sinceris decretis. Scias velim, neque ecclesiam, neque Summos Pontifices indignos esse falsitatis, ut auctoritatem, decorem, splendoremque teneantur. Ridebis cum leges n. 13. Papam esse Regem Cæli, & Terræ, & Inferorum; indignaberis, quando omnia, quæ sub n. 49.

congesta sunt, perlegeris, dicesque Lucium velle definire, quod nondum ab Apostolica Sede expresse definitum est, teste Lambertino. A suspitione hæresis ille non absit (inquit Lamindus Pritanus de Ingenio Moder. l. 1. c. 17.) atque intolerandum, & penis dignam temeritatem ac impudentiam præ se ferat, qui rite Cœlestium catalogo adscriptis expodat, & in iis, ut ajunt, canonizandis ecclesiam reipsa, & Romanum Pontificem errasse dicat. Suspicionem hæresis memoravi, non autem hæresim formalem; quippe non video quomodo conciliari possit cum certissimis regulis hæcenus traditis eorum sententia, qui firmissimo assensu, divinaque fide credendum censent, ecclesiam, aut Romanos Pontifices talia decernentes falli nunquam posse. Videant ipsi, an non inde sequatur, novas revelationes, nova de factis dogmata in ecclesiam induci, quod abhorret à catholica doctrina, & ipsi non negant. Nam quæ argumenta pro sua opinione præducunt, aut nihil, aut nimium in ista questione probare facit cognitum est; Dictorum suorum probationes leges apud eundem Pritanum, quem si legisset Ferraris in negotio Religionis moderatius scripsisset. ¶

#### PAPALIS BENEDICTIONE.

Quid novissime statuerit Clemens XIII. circa *Benedictionem*, quam vocant *Papalem*, cujus impertiente aliquoties infra annum facultatem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis &c. (eam auferendo ceteris ecclesiasticis omnibus) tribuit, cum præscriptone ritus in casu servandi; vide tom. 1. verb. *Benedicere*, *Benedictio art. 5. n. 63.* ubi ad litteram adducuntur ea de re editæ laudati Pontificis apostolica littera.

#### PARAMENTA SACRA.

##### SUMMARIUM.

1 *PARAMENTA SACRA* ex *Glossa* in c. *Ad Nuptiarum* 43. de consecratione, non debent fieri ex vestibus mulierum; qui contrarium tenent: honesta esse debere non dubitatur: quæ necessaria, & quando in alios usus converti, atque alienari, ad n. 13.

14 *Quæ solemnitas ad eorum alienationem*, ad n. 17.

18 *An sint benedicenda*, & quando: ex quibus coloribus conficienda, ex quo loco sunt assumenda ad sacrificium celebrandum, ad numer. 33.

33 *A quibus sunt paramenta providenda, ad quem Prælatorum pertineant: quæ spolia considerentur*, & an omnibus vestibus sacris uti permittatur, ad n. 41.

42 *Novæ addition. ex aliena manu*, ad n. 49.

*PARAMENTA SACRA* ex *Glossa* in c. *Ad nuptiarum* 43. de consecr. dist. 1. non debent fieri ex vestibus mulierum, ibi: *Ex veste alicujus domine, vel alterius, non debet fieri casula, vel aliqui ornatus ecclesiæ, & hanc Glossam sequuntur Bacco in 4. dist. 11. q. 1. art. 5. & alii, quos tacito nomine citant Barbosa lib. 3. Juris ecclesiast. univers. c. 2. n. 33. & Suarez disp. 81. de Sacrificio vel. 8. §. Sed quæret*, & hujus opinionis videtur esse etiam Matthæucci *Official. Curia c. 7. n. 23.* & alii; arg. c. *Vestimenta 42. & cit. c. Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1. & c. Ad hæc 4. de religiosis domibus. At vero ipse Barbosa l. c. n. 33. tenet contrarium, dicit enim expresse: Non prohibetur autem ad sacras vestes, & alia ornamenta ecclesiæ ex materia profana, vel etiam muliebri veste fieri: quamvis*

vis aliqui per *Gloss.* in cap. *Ad nuptiarum, de consecr. dist. 1. & in cap. Ad hæc, de religiosis domibus, contrarium senserint, quia per consecrationem Episcopi sanctificantur, & templa Idolorum in ecclesiis convertuntur. Idem expresse tenet Lezana *Summa q. Regularium tom. 4. vers. Paramenta sacra num. 3.* ubi dicit, quod ornamenta, seu paramenta sacra, possunt fieri ex materia etiam profana, vel etiam ex mulierum vestibus, non solum propter viam vocis oraculum Sixti IV. pro Minoribus, quod refert Casarubius in *Compend. privileg. Mendicant. verb.* Ornamenta ecclesiastica num. 6. sed etiam Jure communi, quia per benedictionem sanctificantur, & ex profanis fiunt sancta, & sacra. Et idem absolute tenet Quarti *Comment. in rubr. missalis parti. 1. tit. 19. dub. 4.* ubi dicit quod communis, & vera sententia docet hoc licite fieri posse absque ullo scrupulo. Tum quia hoc nullibi reperitur prohibitum; Tum quia ex communi usu fideles vestes pretiosas ecclesiis donant, ut ex illis conficiantur casulae, & paramenta altaris; Et Præfati ecclesiarum etiam doctissimi ita exequentur; tum etiam quia constat ex praxi communes domos nonnumquam in templa converti, exemplo Marcelli Papæ, qui domum Lucinæ in ecclesiam consecravit, & Bonifacii IV. qui Pantheon templum Idolorum consecravit in honorem omnium Sanctorum. Immo id expresse concessit Sixtus IV. Fratribus Minoribus, ut refert Casarub. in compendio privilegiorum verb. *Ornamenta Ecclesiastica num. 6.**

3 Paramenta ecclesiastica debent esse munda, honesta, & proportionata usui, & ministerio, ad quod accomodantur; cap. *Vestimenta 42. de consecr. dist. 1. cap. Relinqui 1. de custodia Eucharistie.* Paramenta ecclesiastica, & præsertim vestes, quibus Sacerdos utitur in missa, uti Amictus, Alba, & hujusmodi debent esse benedicta, ut colligitur ex *cit. cap. Vestimenta 42. de consecr. dist. 1. antiqua ecclesiæ consuetudine, & benedictionibus pro hac re institutis, & contentis in Cæremoniâ Romano.* Unde celebrare sine vestibus, seu paramentis benedictis, aut cum aliqua non benedicta, regulariter sine iusta causa, est peccatum mortale; quia est contra ecclesiæ præceptum, & consuetudinem in re gravi. *Communis.*

6 Qui autem possint paramenta ecclesiastica, & vestes sacerdotales benedicere, vide verb. *Benedicere*, *Benedictio art. 1. à n. 17. ad 11. & verb. Vasa Sacra num. 2. & 3.*

7 Quæ sint paramenta, & ornamenta necessaria pro celebratione missæ; vide verb. *Missa art. 10. per tot.*

8 Paramenta sacra non possunt amplius converti in usus profanos, quia semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap. Semel 51. de Reg. Juris in 6. & concordat cap. Quæ semel 4. caus. 19. quæst. 3. (*Vid. lit. A pag. 210. vers. Quibus: lit. B pag. 367. numer. 23. cum leg. 38. 61. & 62. lit. 5. parti. 5.*) Nec ad alios usus, quibus dedicata sunt, transferri debent; cap. *Vestimenta 42. & cap. Ad nuptiarum 43. de consecr. dist. 1. Paramenta sacra, cum fuerint veritate consumpta, incendio danda sunt, & cineres in Baptisterio, vel alio loco abditio, & honesto conditi, ne forte transeuntium pedibus conterantur; cap. *Altaris palla 37. de consecr. dist. 1.**

11 Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine iusta causa, & debita solemnitate; cap. *Final. de rebus eccles. non alienand. Clement. 1. eod. tit. inter communes.* Immo possunt hypothecari, & oppignorari; *cit. Extravag. Ambitiosa* cum aliis Juribus adducit; *tit. sub verb. Alienatio art. 1. num. 2.* Dicitur autem notanter sine iusta causa, & debita solemnitate, quia istis interuentibus, & concurrentibus possunt hypothecari, oppignorari, & alienari, ut pa-

tet ex variis Juribus adductis sub verb. *Alienatio art. 2. num. 1. ad 9.* Quæ autem, & quot sint istæ causæ, & solemnitates, vid. d. verb. *Alienatio art. 2. à n. 2. ad 9.*

Paramenta sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur, vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari, vel hypothecari, nisi ad servitium, & ministerium alterius ecclesiæ, & altaris, & ad usus sacros, & pios; cap. *Ligna Ecclesiæ 36. de consecr. dist. 1. Paramenta sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur, vel oppignorentur etiam ad usus sacros, & pios, & ad servitium alterius ecclesiæ, quamvis vendantur solum ratione materiae, qua constant, & non quatenus sacra sunt, adhuc committitur sacrilegium propter irreverentiam, quæ fit rebus sacris, dum sine necessitate venales fiunt; Non tamen committitur simonia, quia non venduntur, quatenus sacra sunt pro pretio temporali, sed solum venduntur ratione materiae, qua constant, & ita venditur materia temporalis pro pretio temporali; Covarrub. lib. 3. var. cap. 16. num. 8. Molin. de justit. tract. 2. disp. 240. vers. Res item sacra, Navarr. in *Manual. cap. 17. num. 205.* Barbosa lib. 3. *Juris ecclesiast. univers. cap. 2. num. 47. & alii passim.* Paramenta, & Vasa sacra licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis, & ad usus profanos, tamen prius contracta, & conflata esse debent; cap. *Aurum caus. 12. quæst. 2.* cum ibi notatis, Sanchez tom. 2. consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 15. §. Quarto dico: Barbosa loco citato num. 48. Lezana *cit. tom. 4. verb. Vasa Sacra num. 6.* & alii passim. (*Ad rem Breve S. D. Clementis XII. §. 11. & 12. lit. C pag. 80.*)*

Paramenta ecclesiastica, & sacra execrantur, & benedictionem amittunt, ac nova indigent, quando ita franguntur, & in eo statu ponuntur, ut non possint amplius decenter inservire usui sacro, cui fuerant deputata, aut non amplius priorem figuram retineant; Barbosa *loc. cit. num. 36.* Lezana *loc. cit. 1. 4. verb. Paramenta Sacra num. 3.* Armilla verb. *Benedicere num. 3.* Angelus verb. *Benedictio num. 3.* & alii. Hinc stola facta de planeta benedicta debet iterum benedici, quia ad ipsam est data particularis benedictio, & est mutata forma, quæ debet esse rei. Paul. Fuchius de *Vitit. lib. 1. cap. 25. num. 15.* Ugol. de potest. *Episcop. cap. 33. §. 1. num. 6.* Barbosa *loc. cit. num. 48.* Matthæucci *loc. cit. num. 22.* & alii. Secus autem si de stola fiat manipulus. Antonelli de regimin. *eccles. lib. 1. cap. 17. num. 13.* Matthæucci *official. Curia cit. cap. 7. num. 22. & alii.*

Alba non indiget nova benedictione, si ad eam reficiendam aliqua adjungantur, quorum additione remanet adhuc prior figura, etiam si quæ adduntur, non sint benedicta; arg. cap. *Quod in dubiis 3. de consecr. eccles. vel altar.* Accessorium enim naturam sequi congruit principali; cap. *Accessoryum 42. de Regul. juris in 6. (Vid. lit. A pag. 38. ex num. 1. ad 15. lit. D pag. 104. ex num. 60.)* Barbosa *loc. cit. num. 37.* Armilla, Angelus *loc. cit. & alii.* Si vero refectio fiat secundum majorem partem, tam ipsius Albe, quam alterius paramenti, seu ornamentati, opus est nova benedictione, quia non retinet priorem figuram, & materia addita non benedicta est major priori materia benedicta; arg. cap. *Si Ecclesiam unic. de consecr. Eccles. in 6.* addita ibi ratione: *Ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.* Vide verb. *Ecclesia articulo 4. num. 25.* Paramenta non benedicuntur substantialiter per usum in sacrificio mala fide factum. La-Croix lib. 6. part. 2. num. 252. cum pluribus ibi citatis, An autem benedicantur per usum bona fide factum? Vide verb. *Calix num. 20.*

Paramenta altaris, celebrantis, & ministrorum, debent esse coloris convenientis officio, & missæ diei secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ coloribus

uti consuevit, albo, rubro, viridi, violaceo, & nigro; Communis ex rubrica missalis de color. param. 26 Rubrica de coloribus paramentorum non est præceptiva, sed directiva, unde non indicit rigorosam obligationem, quia præceptum S. Pii V. laum in Bulla missalis, ex quo rubricæ vim obligandi habent, non se extendit ad hanc rubricam de coloribus. Quarti Comment. ad rubric. missal. q. proam. sect. 2. punct. Colligitur 4. & part. 1. tit. 18. dub. 1. Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 82. sect. 2. §. Secundo est observandum: Homobonus in examine part. 3. tract. 4. cap. 15. quasi. 144. Diana tract. 14. resol. 57. Aversa de Sacrificio quasi. 11. sect. 13. §. Rursus: La-Croix lib. 6. part. 2. num. 340. & alii notantes, quod neque etiã de materia, ex qua confici debent ipsa paramenta, aliquod reperitur statutum sub præcepto, quæ tamen majoris momenti est, quam sint colores, adeoque &c.

27 Potest tamen peccari venialiter, si absque rationabili causa ex negligentia v. g. vel simili motivo varietur communis ecclesiæ Ritus circa colores. Immo si ex circumstantiis timeatur grave scandalum, v. g. si in die Paschatis quis celebret in paramentis nigris in publica ecclesia, non excusaretur à peccato mortali. Quarti cit. part. 1. tit. 18. dub. 1. Gobat in Exper. tract. 3. num. 382. La-Croix loco citato num. 340. & alii. Color autem aureus, seu croceus æquivalent omni color, qua omnes ad illum concurrunt. La-Croix loc. cit. num. 340. Quarti cit. part. 1. tit. 18. dub. 2. qui tamen dicit, quod non videtur absolute substituiendus pro colore nigro, & violaceo in diebus jejuniorum; & afflictionis.

29 Paramenta à Dignitatibus, & Canonicis sumenda sunt juxta regulas libri caeremonialis in processionibus, & solemnitatibus pontificalibus, licet præbendæ non sint distinctæ. Sacr. Congreg. Rit. in Alexandrina 17. Mart. 1608. in respons. ad dubium novum, quam refert Aldan. in compend. canonic. res. lib. 1. tit. 33. num. 50. & Barbosa Summ. Apost. decr. verb. Paramenta num. 1.

30 Paramenta nova, & antiqua mutare possunt Canonici absque consensu Episcopi, etsi de aliis mobilibus adsit consuetudo, quod de consensu Episcopi id fat. S. Congr. Concil. in Maxien. 23. Aug. 1631. apud Aldan. loc. cit. n. 52. & Barbosa. loc. cit. n. 2.

31 Solis Episcopis licet sumere paramenta de Altari. Sacr. Concil. Rit. 7. Jul. 1612. apud Gavant. in rubr. missal. part. 2. tit. 1. num. 2. in princip. & apud Barbosa. loc. cit. num. 3. ubi habetur, quod paramenta non debent poni in altari, nisi pro solis Episcopis, & Cardinalibus.

32 Hinc eadem Sacra Congreg. Rit. in decreto generali circa usum pontificalium Prælati Episcopo inferioribus concessorum eorum Sanctissimo Domino Nostro Alexandro Papa VII. emanato die 27. Septemb. 1659. §. XI. statuit, quod Sacras vestes ex altari non sumant, nisi pontificaliter divinis vacaturi; & ibidem §. XXI. statuit, quod in missis privatis quoad indumenta, caeremonias, Ministros, altaris ornatum, & benedictionis largitionem, à simplici Sacerdote non discrepent, ac prout de sacras vestes induant in sacris, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti Ministro, aquam cum pelvi, & urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant. Et denuo die 20. Julii 1660. in declaratione prædicti Decreti, Ad §. Undecimum, quo sacras vestes ex altari summere Abbates privatim celebrari prohibentur, assententibus Monachis, se hæctenus tali privilegio gavisos esse, Sacra Congregatio censuit servandum esse decretum. Et ad §. XXI. quod in missis privatis prohibentur Abbatibus quicunque Ritus, & prærogative ad Episcopos privative spectantes, exponentibus Monachis, Abbatibus Cassinensibus hæctenus in missis privatis adhi-

»buisse quatuor candelas, Ministros ad lotionem manuum, & duos assistentes cum cotta &c. Sacr. Congreg. censuit servandum esse decretum. Vid. verb. Abbas num. 31. ubi per extensum datur totum decretum cum sua declaratione.

Episcopus teneatur providere de illis paramentis, quæ deserviunt pro sua persona, vel pro altari majori, sed pro aliis altaribus, & sacristia providebuntur decenter à Capitulo. Sacr. Congreg. Episcop. in Maceraten. 9. Junii 1583. apud Nicol. in Lucubrat. tom. 2. lib. 1. tit. 26. num. 6.

Sedes archiepiscopalis ære proprio Archiepiscopi, non ex sacristiæ sacris vestibus ornanda est. Sacr. Congreg. Concil. in Messan. apud Nicol. in Flor. verb. Sedes num. 3.

Non potest Episcopus uti paramentis cathedralis extra ipsam cathedralem. S. C. Episcop. in Savonen. 3. Martii 1579. & in Fundana 2. Aug. 1622. apud Nicol. in Florulic. verb. Episcopus num. 25.

Omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, necnon missalia, & gradualia, & cantus firmi, & musica, ac alii libri, & aliæ res sacre, etiam auri, & argenti, ac quæcumque alia bona per quoscumque Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscumque, qualiacumque beneficia ecclesiastica etiam quorumvis Ordinum Regularia obtinentes ad usum, & cultum divinum etiam in eorum privatis ædibus, & capellis, vel oratoris destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi, & aliis disponendi de bonis non comprehendantur, nec sub appellatione spoliatorum veniant, sed ad singulas ecclesias, monasteria etiam Conventu carentia, & beneficia hujusmodi (in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ aliis obtinuerint) omnino pertineant. Quod si aliquis ex præfatis Abbatibus, seu Commendatariis, & aliis Beneficiatis pluribus ecclesiis, seu monasteriis pro tempore simul, vel successively præfuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta, & paramenta, ac res, & bona prædicta ad illa omnia (habita ratione fructuum, & temporis, quo eadem Beneficia possidet) spectent omnino, & proportionaliter inter ea dividantur. Pius V. apud Cherubin. in Bullar. Roman. tit. 2. const. 42. quæ incipit. Romani: & referunt etiam Quaranta in Summ. Bullar. verb. Spolia Clericorum pag. mihi 482. Tamburin. de Jure Abbat. tom. 2. disp. 16. quasi. 2. num. 2. pagin. 268. (Vid. verb. Spolium.)

In ecclesiis, quas nunc habent, & quas imposterum ædificabunt, vel quovis modo obtinebunt Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de strictiori Observantia, seu Reformati, in quibus non sunt organa, vel paramenta, aut vasa ecclesiastica, non possunt ea de novo facere, nec etiam piolum elemosynis, vel donatione, aut quovis alio titulo offerrentur, seu fierent, illa valeant acceptare, sed teneantur observare regulam cum declarationibus Nicolai III. & Clementis V. ac VII. In ecclesiis vero, quas nunc habent, vel imposterum habebunt, & acceptabant, sive Fratrum de Familia, sive quavis alia concessione obtinebunt, in quibus essent hujusmodi organa, & paramenta, ac vasa eisdem ecclesiis applicata, conceditur, quod sine scrupulo aliquo, & conscientie onere possint ea tenere, & illis uti, donec duraverint. Clemens VIII. apud Cherubin in Bull. Roman. tom. 3. const. 84. quæ incipit. Sanctissimus.

Sub excommunicationis late sententiæ (reservata Papæ absolutione) ac privationis voci active, & passive penis per contrafactes eo ipso incurrendis interdictum, prohibetur, ne quicquam vasa, calices, candelabra, lampades, & alia paramenta, & ornamenta ecclesiastica, aut quæcumque suppellectilem sacram ad ecclesias Congregationis Coelestinatorum Ordinis S. Benedicti spectantia, aliis ecclesiis,

»suis, vel monasteriis, aut locis piis, seu quibusvis commodare, sive sub quovis quæsivo colore ex quacumque dictarum Congregationis hujusmodi ecclesiarum extrahere, & asportare, vel ut commodentur, aut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu presumat. Alexand. VII. in Bull. Rom. tom. 5. const. 40. quæ incipit. Conservatiori.

Fratres Minores de Observantia sub gravissimis penis prohibentur aliis commodare paramenta, ornamenta, vasa, & hujusmodi suarum ecclesiarum, & ad id datam per extensum constitutio Innocentii XI. confirmativa decreti Sacræ Congreg. Episcop. & Regul.

Innocentius Papa XI. ad futuram rei memoriam, Aliis ad supplicationem tunc existentis Commissarii Generalis Curie Ord. Fratrum Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum, emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita decretum tenoris, ut sequitur.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, specabili cultu, & decore ornati ecclesiarum Ord. Fratrum Min. Sancti Francisci de Observantia provide consules, injungendum censuit, prout presentis decreti tenore injungit omnibus & singulis dicti Ordinis Superioribus, Provincialibus, eorumque subditis sub pena privationis officiorum Ordinis immediate incurrenda: ne ullo unquam tempore, quavis occasione, vel pretextu ad instantiam, & præces cujusvis indulgeant, ut consentiant, suppellectilem, vasa, ornamenta, vestes, atque omnia generis res spectantes alio modo ad præfatas eorum ecclesias, capellas, oratoria, sacristias, extra illa ad usum, vel officium ceterorum distrahi, asportari, seu aliis ab ipsis Min. Observantibus commodari, quin prius accesserit consensus saltem ultra duas partes capituli, cujuslibet respective conventus per secreta suffragia singulis vicibus præstandus, necnon à Ministro provincie authentice confirmandus, & ita observari mandat. Non obstantibus &c. Datum Romæ 4. Martii 1680.

Cum autem sicut Dilectus Filius Franciscus Diaz S. Bonaventura, carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Concionator, & Theologus, ac pro Ultramontana Familia Fratrum dicti Ordinis Vice-Commissarius Generalis nobis exponi nuper fecit, eo quod ipse decretum hujusmodi (quo firmius subsistat, & servetur exactius) apostolicæ confirmationis nostre patrocinio communiti desideret; Nos ipsius Francisci Vice-Commissarii Generalis voti hac in re (quantum cum Domino possumus) favorabiliter annuere volentes, & eum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, & penis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodatus existit) ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, decreverunt præsertim auctoritate apostolica renovere presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabiliter apostolicæ firmitatis robur adiungimus.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 16. Sept. anno 1685. Pontificatus anno IX.

Leo X. const. incipit. Merentur: declaravit, & decrevit, quod Fratres Minores de Observantia sint tantum Custodes, & non possessores paramentorum, & ornamentorum, ac vasorum, quæ ad ministerium Sacramenti altaris habent, & propterea illis, etiam

»preiosis, absque sua professionis macula, aut violatione, uti, & potiri, libere, & licite eos posse cum deceat juxta solemnitatem, & celebritatem, decentioribus paramentis Divinam honorare Majestatem.

Paramenta sacra, vestes, & vasa ad ministerium divinum consecrata, non debent commodari ad usus laicales, & profanos, cap. Ad nuptiarum 43. de consecrat. dist. 1. & Communis Doctorum.

Alia ad rem. Vide verb. Utensilia.

Usus paramentorum sacrorum ecclesiæ cathedralis deberi Episcopo, vulgo traditur. Sed ne in errores incidamus plures notandi sunt casus.

Porro non est dubium, quin usus paramentorum sacrorum debeatur Episcopo in ipsa ecclesia cathedrali celebranti, & quidem sive pontificaliter, sive private, ut respondit Rot. in Spolehana paramentorum super exequutione Brevis 22. Junii 1722. §. Quoniam, & in confirmatoria 14. Maii 1723. §. Ex his autem, cor. bon. mem. Crispolto.

Idemque Juris est, si Episcopus celebret in capella palatii episcopalis, modo tamen inibi non private, sed pontificaliter celebret; Rot. in dicta Spolehana paramentorum super exequutione Brevis 14. Maii 1723. §. Quo vero, & rursus §. Inutiliter, cor. bon. mem. Crispolto.

Quod procedit sive palatium Episcopi sit finitimum, sive sit remotum ab ecclesia cathedrali, ut prosequitur Rot. in dicta Spolehana paramentorum super exequutione Brevis 14. Maii 1723. §. Absque eo quod, cor. bon. mem. Crispolto, & in terminis palatii episcopalis distantis ab ecclesia cathedrali 400. pass. rescriptis Congregatio Particularis in Alben. 19. Sept. 1710.

Controversia vero est, an hic ipse usus debeatur Episcopo pontificaliter celebranti extra ecclesiam cathedralem, tum extra capellam proprii palatii? Et negative respondit Rot. in dicta Spolehana paramentorum super exequutione Brevis 22. Junii 1722. §. Quoniam, & in confirmatoria 14. Maii 1723. §. Eoque fortius, cor. bon. mem. Crispolto, & resolutum fuit à Congregatione Particulari in Casalen. 11. Martii 1708. tum ab altera Congr. Particulari in dicta Alben. 19. Sept. 1710.

Quinimmo Rot. in dicta Spolehana 22. Junii 1722. §. Et licet: id admittit, tamen si ageretur de paramentis sacris non expensis capituli factis, sed comparatis ex legatis Episcoporum antecessorum.

Quid vero, si Episcopus habere consueverit hunc usum extra ecclesiam cathedralem, capellamque proprii palatii? In dubio usum hunc referendum esse ad meram convenientiam Capituli, adeoque nullum ipsi Episcopo præstare titulum, sensit Rot. in dicta Spolehana paramentorum super exequutione Brevis 22. Junii 1722. §. Longe minus: & in confirmatoria 14. Maii 1723. §. Nec Episcopo: cor. bon. mem. Crispolto.

PARENTES.

SUMMARIUM.

- 1. PARENTES tenentur gravi obligatione Juris naturalis conservationem, & educationem liberorum curare.
- 2. Hinc parentes tenentur alere prolem suam.
- 3. Non solum prolem legitimam, sed etiam spuriam.
- 4. Mater tenetur alere prolem suam, primo triennio, & post triennium tenetur pater usque ad emancipationem.
- 5. Mater tenetur proli sua præbere solum lac, & si alia alimenta ministraverit sine animo donandi, potest respectere à patre.